

Lectori benevolo.

Si turpe est nescire praeterita suae nationis fata, eorumque testem historiam negligere; sane acerbo dolore ac detrimento non vacat, ignorando jura suae patriae esse peregrinum in patria.

Quod ego malum quum aegre ferrem apud animum meum, plures jam ante annos coepi colligere talia Antiquitatis monumenta, quae generatim obscuram nationis Slavicae ad meridiem degentis historiam illustrarent, speciatim vero fundamentum historicum suppeditarent illis vetustate consecratis jurbus, quibus Regnum Croatiae, Dalmatiae & Slavoniae per multas aetates ac secula utitur.

Jam mihi labor utcunque processerat, constitueramque opus in lucem quoque, sed longe tardius, edere, quum ex inopinato sed bonis omnibus promulgatum est caesareum 20 Octobris 1860 diploma, quod nobis antiquissimam Constitutionem, postremis duodecim annis interceptam, quodammodo in vitam revocavit, suopteque nutu pristina hujus Regni jura omnia restituit.

Unde summa nationi nostrae exorta est necessitas, ut tempestive jura haec perfectius cognoscat, eaque adversus dolos et impetus inimicorum tueri valeat.

Quocirca, etsi negotiis diversissimis, publicis et privatis, occupatus essem, tamen nil dubitavi, quorundam amicorum precibus obtemperare, ut opus, licet non usque quoque perfectum, maxima festinatione absolverem, usibusque peramatae Patriae et nationis Croatiae dedicarem.